

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4231

**Auteur(s) :** Richard III, Avranches (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1171-1182]

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard, évêque d'Avranches, confirme la donation faite par Guillaume de Saint-Jean à l'abbé et aux chanoines de La Lucerne.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° XIII, p. 11-12.

Texte établi d'après a

Ricardus Dei gracia Abrincensis ecclesie minister humilis dilectis in Christo filiis A. abbati totique canonicorum conventui Sancte Trinitatis de Luiserna perpetuam in Domino salutem. Pastoralis congruit moderamini ecclesiarum curam gerere et earum utilitatibus et incrementis diligenter providere ; hac itaque consideratione ducti, et fraternitatis vestre dulcedine commoti, elemosinas et dona que Willelmus de Sancto Johanne dedit Deo et abbacie vestre, prius per manum Achardi sancte recordationis episcopi, predecessoris nostri, et postea per nostram, episcopali auctoritate vobis in perpetuum confirmare curavimus : terram videlicet in qua fundata est abbatia vestra ; illam scilicet que est inter primum vivarium vestrum et nemus et Thar et Tharneth ; et ecclesiam de Rochella cum omnibus pertinentiis suis, salvo jure episcopali ; et vineam que est juxta ecclesiam Sancti Johannis, et masuram Girardi et masuram Hugonis Le Blanc, et unum pratium et XV quarteria frumenti in molendinis de Sancto Johanne et IIII solidos Cenomannensium in prefectura, et sedem unius piscarie ad mare, et decimam redditus molendini et hominum de Brikeigneio, et decimam redditus terre quam Willelmus de Verdum tenet de eo apud Boillon. Hec vobis dedit predictus Willelmus per manum pie recordationis Achardi episcopi ; nos vero, ex dono et presentatione predicti Willelmi et permissione et consensu Roberti abbatis et conventus ecclesie Sancti Michaelis de periculo maris, donamus in perpetuum elemosinam abbatie vestre et vobis ecclesiam de Sancto Johanne cum omnibus pertinentiis suis, salvo jure episcopali, ita tamen ut per duos presbiteros serviatur, alterum canonicum, alterum secularem, qui parrochie deserviat ; et ecclesiam de Angeio cum omnibus pertinentiis suis, salvo jure episcopali, et decimam omnis redditus quem prefatus Willelmus et Andreas de Rochella habent in eadem villa, et decimam XIII solidorum Cenomannensium ad Chanceium, et decimam X solidorum Cenomannensium ad Bacilleium. Hec igitur, ut vobis et successoribus vestris rata permaneant, episcopali auctoritate confirmamus ; et eos qui contra hoc, diminutionis causa, venire temptaverint, postquam tercio commoniti fuerint, nisi satisfactione congrua presumptionem suam emendaverint, anathematis vinculo innodamus. Hujus autem donationis et confirmationis

testes sunt Willelmus thesaurarius, Willelmus de Veim, Willelmus et Ricardus nepotes mei, magister Rogerus Normannus, Gislebertus de Campellis, Willelmus de Leisiaus, Robertus de Veim, Philippus de Leisiaus.